

Guido Ferrerius cardinalis Vercellensis

Lectori salutem.

Bonifacius cardinalis Eporediensis, patruus magnus meus, dum Bononiae legatum gereret, Christophorum Boncompagnium Ugonis, quem hodie sub Gregorii XIII nomine colimus, patrem familiarissime adhibere solitus fuit: quod singularem illius bonitatem, moderationem, placidissimos mores mirifice probaret. Petro Francisco autem cardinali patruo meo magna cum Ugone ipso necessitudo intercessit, ex quo una in comitatu fuerunt Caroli Caraffae cardinalis ad Gallorum et Hispanorum reges legati: quod quidem mei erga Ugonem amoris atque observantiae initium fuit. Evenit deinde, summo Dei erga me beneficio, ut ipsius collega essem in referendi ad utramque Signaturam munere, in Concilio Tridentino nonnullorum laborum particeps, in examinandis supplicibus libellis, qui cardinali Borromeo porrigebantur, socius, episcopatum utrique gereremus, ac postremo eadem nominatione, quod maximum et sanctissimum vinculum est, a Pio IV in sacrum senatum legeremur. Quamobrem cum hominis interius inspicendi multas ac praeclaras haberem occasiones, singularem ipsius virtutem ac sapientiam ita semper amavi, suspexi, colui, ut eius pontificatu nihil aut mihi aut reipublicae optabilius contingere posse existimarim. Quo quidem perpetuo meo de summa illius virtute iudicio multisque praeterea erga me beneficiis adductus faciendum putavi, ut eius pontificatum memoriae posterorum prodendum susciperem. Nam et amor, qui foras se promere gestiebat, mos gerendus erat, et ita mecum cogitabam habitura insequentia tempora optimi Pontificis imaginem, quam intueri magna cum utilitate nec sine voluptate possent. Scripsi igitur amans: sed nihil in rebus gestis narrandis amoris datum facile ex rebus ipsis intelliges, meque, ut spero et opto, de hoc meo labore amabis. Vale.

Segue quindi il seguente indice del contenuto:

Capita libri [primi].

Brevis descriptio vitae	Cap. I.
De pietate	Cap. II.
Quomodo se erga cardinales gerat	Cap. III.
De studio conservandae propagandaeque religionis	Cap. IV.
De anno Iubilaei	Cap. V.
De sacro foedere	Cap. VI.
De sancto Inquisitionis officio	Cap. VII.
De morum disciplina	Cap. VIII.
De studio pacis	Cap. IX.
Honores et praemia ab ipso donata	Cap. X.
Conservatio et amplificatio patrimonii ecclesiastici	Cap. XI.
Sumptus inutiles sublatis, magnificentia et liberalitas	Cap. XII.
Gravitas, facilitas, humanitas, sermo et studia	Cap. XIII.
Officium in hospites	Cap. XIV.
Dilectio omnium ad eum	Cap. XV.
Statura et valetudo	Cap. XVI.